

6  
THESES,

IN EXERCITIUM STIPENDIARIORUM  
AD ACADEMIAM IMPER. ABOËNSEM  
PUBLICÈ VENTILANDAS

PRÆSIDE

Doct. *ISRAËLE HWASSER,*

MED. PRACT, PROFESSORE PUBL, ET ORD.

Defendet

*JOHANNES TENNBERG,*

STIPENDIARIUS PUBL, SATACUNDENSIS,

In Auditorio Medico XXXI Martii MDCCCXXI.

h. a. m. f.



*Thesis I.*

**V**arias, quæ in medicina principio rationali subjicienda in-  
claruerunt, theorias si præconceptis opinionibus libero  
examinare velis animo, facile, plerasque certo respectu veram  
quidem involvere vitæ imaginem, sed ex partiali tantum Ejus  
contemplatione progenitam hanc, legibus rationis humanæ  
convenienter evolutam, in absurdas, Scientiæ pariter ac Arti  
medicorum officientes, abiisse positiones, invenies.

*Thes. II.*

Maxime invicem repugnantes & principiis plane opposi-  
tis innixæ videntur theoriæ illæ laudatæ, quas in lucem edi-  
derunt STAHL & BROWN; ille scilicet *autocratiam*, hic autem  
*dependentiam*, *absolutam* vitæ individuali tribuentes. Sed non  
solum in ea, quam invicem sibi opponunt naturam indagandi  
viam, unius partis contemplationi adhærentes censendæ sunt  
illæ theoriæ, verum etiam quatenus sibi congruant, limitatam  
duntaxat vitæ notionem admittunt, e *processu* scilicet *vitali*  
unice nec simul ex *organismo* omnia vitæ phænomena origi-  
nitus esse derivanda, postulantes.

*Thes. III.*

Horum vero opinionibus oppositam persecuti sunt viam,  
qui doctrinis iatromathematicæ & iatrochemicæ dederunt ori-  
ginem, E materiei vero organicæ manu palpandis qualitati-  
bus,

bus, totum vitæ phænomenorum complexum derivantes & sublimem ejus ideam in mortuo submergentes materialismo, a plerisque quidem recentioris ævi in medicina scriptoribus in contemptum adducti sunt ejusmodi doctrinarum assectæ; sed si principia, quibus innituntur et finem in quem tendunt rite perspexeris, facile invenies, illorum theorias non nisi dignitatem *organismi* in vitæ formis & phænomenis dijudicandis, restituere voluisse.

*Thef. IV.*

Qui inter rerum in Medicina occultarum sagacissimos nororum temporum indagatores, summum sibi paravit locum, Ill. REIL, hanc *organismi* dignitatem ut Physiologiæ non minus quam Pathologiæ principium præcipue esse stabiliendam, postulavit. Et quamvis controversias Physiologicas dirimere atque expergiscenti absoluti desiderio satisfacere non valuerit systema, quod huic principio convenienter extruxit acutissimi ingenii vir; hallucinationes tamen inanes, in quas theoriæ mere dynamicæ abissent, præpedivit & evectori, quam a Philosophia Naturæ sibi datam accepit hodierna physiologia, progressionem viam paravit.

*Thef. V.*

In dijudicando generosorum, quos nostri ævi philosophi ultimum rerum & idearum principium quærentes fecere, conatum ad Scientiam & artem Medicorum habitu, sollerter distingvendum putamus inter *illos*, qui vitæ, & idealem & realem, evolutionem æquo perpendentes animo, neque uni nec alteri potioem addunt locum, & *illos*, qui, idealem vitæ evolutionem ad realem, ut causa ad effectum sese habere, postulare videntur. Hinc quoque ut medicina rationalis cum *illis* conjunctissima familiaritate utatur, ex imo pectore optamus hortantes insimul ut arti medicæ addicti, strenue atque feliciter debellaturi sint cohortes, quas *hi* impetu quodam fanatico impulsas, sacra Æsculapii temere violaturas, emittunt.



*Thef. VI.*

Divisionem inflammationum in Sthenicas & Asthenicas, falso inniti principio & salutari artis medicæ usui noxiam esse, judicamus.

*Thef. VII.*

Quæ variis induta formis, apud omnes fere gentes, frequentissima fuit teterrimæ indolis labes, *lepra*, a luxuriante intra organismum vegetatione prodire videtur.

*Thef. VIII.*

Lepram recentioribus sæculis, minus ac olim Europam & Asiam devastasse, ex influxu, quem in genus humanum transformandum & forsitan corrigendum habuerint morbi cutanei epidemico-contagiosi, præsertim febres, quas dicunt exanthematicas 1:mi ordinis, Variolæ, Morbilli & Scarlatina, derivandum putamus.

*Thef. IX.*

Quam ex hac experientiæ innixa postulatione deductam voluit Cel. KIESER, doctrina, febres sc. exanthematicas morbosos esse procesus evolutioni humanæ, & generali & individua, absolute necesarios, neque rationali evolutionis humanæ expositioni, neque experientiæ satis bene convenire videtur.

---